Disputatio medica de icteritiae flavae theoria & therapia ... / M. Franciscus Ignatius Meyer.

Contributors

Meyer, Franciscus Ignatius.

Publication/Creation

Basileae : Typis Georgii Deckeri, [1657]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/k7dxe2kk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

19

DISPUTATIO MEDICA

De

ICTERITIÆ FLAVÆ THEORIA & THERAPIA:

Quam,

Ex Amplissimorum Inclytæ FACVLTATIS MEDICAE *in Celeberrimâ* RAVRACORVM *Academiâ* PROCERVM *Jussu & Authoritate*

Pro DOCTORALIBVS in MEDICINA consequendis HONORIBVS & PRIVILEGIIS,

M. FRANCISCVS IGNATIVS MEYER, Lauffenbergensis Rauracus,

Publicæ Mystarum Apollineorum ventilationi submittit.

Ad diem Novembr. An M DC LVII.

Loco & horis consuetis.

BASILEÆ, Typis GEORGII DECKERI, Universitatis Typographi.

Reverendissimo & Amplissimo Domino,

DOMINO

FRANCISCO,

Celeberrimi Monasterii S. Blasii

in Sylvâ Hereiniâ ABBATI, Domino Ditionum Bondorff. &c. PRÆSULI meo observandissimo.

Reverendissime & Amplissime Dn. Præsul. Collegium Inclytæ Facultatis Medicæ Basileensis *longè famosissimum, totoq; terrarum orbe celeberrimum pro supremis Honoribus, & Privilegiis Doctoralibus consequendis, has meas Theses & prælo & prælio Examinis publici subjicere jussit, sine Præsidis præsidio quidem, sed non sine Præsulis Patrocinio: quocirca ad Tuos tàm lucidi splendoris radios accurro; ausum meum exiguum licet Reverendissimæ Amplitudini Tuæ dedicare vilitas dehortarit, animavit tamen Benevolentia Tuæ Mansuetudo erga omnes, jusserunt innumeræ mihi, meisq; collatæ gratiæ. Patiatur igitur Reverendissima Amplitudo Tua has paginas in Benignitatis Tuæ Vmbrâ commorari, quantumvis parvas, (quia quò minores sunt, eò majorem ad conspiciendũ requirũt lucem) quas debito gratitudinis & submisso animo Do, Dedico, Deum Ter Optimum Maximum rogans, ut Monasterio, & subditis omnibus diu incolumem in Regimine felici conservare, immortali denique vitâ donatum æternùm beare, velit: Ita optat & vovet*

Reverendissimæ Amplitudinis Tuæ

Aeternùm devotus Cliens

M. FRANCISCUS IGNATIUS MEYER,
Medicinæ Candidatus.

THESIS I.

AD depravatam, imminutam, vel omninò abolitam excrementorum in hepate ſeparationem, plura ſuboriuntur Symptomata: è quorum cenſu humor bilioſus, & melancholicus, vel uterque ſimul mixtus, non ritè, vel omninò non ſegregatus atq; expurgatus, per totum corpus cum ſanguine diffuſus, affectum quendam conſtituit, qui propriè Icterus dicitur, varia licet ſortiatur nomina. *Theoria.*

II.

Græcis dicitur ἴκτερος à ſimilitudine τῆς ἰκτίδος animalculi habentis auricolores oculos: Latinis Icterus, Icteritia. Quandoque Aurigo, ob coloris auri, & Arquatus, ob arcûs cœleſtis ſimilitudinem, nominatur: interdùm etiam à curandi modo Regius morbus appellatur. *Nomina.*

III.

Quonamcunque affectus hic nuncupetur nomine, trifarius tamẽ diſtinguitur: Icterus citrinus ſive flavus alter, alter niger, tertius viridis pronunciatur; primus eſt bilioſi, ſecundus melancholici, & tertius utriusq; ſibi invicem mixti, aut certè aduſti bilioſi humoris in cutem & ſumma corporis effuſio. Sed quia poſteriores duo rari ſatis ſunt, de citrino ſolo prolixitatem evitanti quæſtio veniet tractanda. *Definitio.*

IV.

Hujus ergò affectus, p. n. cauſa proxima exiſtit effuſio bilis *Cauſæ.*

per cutis exiguos poros; effusionis verò causa, sive remotior, triplex esse potest: prima est ipsius cholidochi folliculi vitium: 2. impedimentum viarum: 3. biliosi humoris pravitas.

V.

Vitium vesiculæ felleæ bifariè contingit, imbecillitate scilicet facultatis attractricis, & debilitate excretricis. Ad primum, biliosum humorem, sicuti consuevit, in se ex hepate non attrahit: ad alterum, propter repletionis, quæ relinquitur, multitudinem, ad intestina expelli nequit, excrementum, unde in lapillos, imò lapides indurari quandoque contingit.

VI.

Impedimentum viarum accidit modis quinque: obstructione, compressione, subsidentiâ, conniventiâ, & astrictione. Obstructio quidem fit, vel à pituitâ crassâ, lentâ & viscidâ; vel à bile crassâ, eâque copiosâ; vel denique à lapillis propter causam jam dictam concretis.

VII.

Compressio contingit à tumoribus vesiculæ felleæ vicinis, dùm meatus illius inde angustantur, sive tumores hi deinde sint ab inflammatione, sive à Scirrho.

VIII.

Poris felleis atrophiâ laborantibus evenit subsidentia; sicut conniventia, si præcesserit ulcus: Adstrictio verò fit vel ab assumptis, vel ab admotis frigidis, stipticisque.

IX.

Pravitas humoris biliosi consistit in quantitate, & qualitate: In qualitate quidem, dùm bilis ità à calore nimio incrassatur, ut meatus per quos expurgari deberet obstruantur.

X.

In quantitate verò peccat, dùm ita bilis adaugetur, ut aut à naturâ regi, aut à massâ sanguinis secerni, aut etiam propter repletionem nimiam ad illius expulsionem vesica fellea sese contrahere non possit.

XI. Ni-

XI.

Nimiùm autem bilis augetur, vel à causâ internâ vel externâ; causa interna vel est mala hepatis diathesis, quæ varia existit, ut intemperies, inflammatio, obstructio, Scirrhus & quæcunque partem ità afficiunt, ut bilis excrementitia à sanguine non expurgetur. Vel est robur facultatis expultricis, bilem à profundo corpore ad peripheriam transmittentis, qualiter evenit in Ictero critico & Symptomatico.

XII.

Causa externa, sunt medicamẽta, epota venena, aut morsus venenatus: medicamenta sunt cholagoga ferè omnia, quæ minori quantitate, quàm ut bilem expurgare possint, sumpta, ipsamet in bilem mutantur.

XIII.

Ex epoto veneno, aut morsu venenato fit, dùm veneni vi sanguis totus pristinam suam amittit puritatem, & in citrinum, sive biliosum humorem corrumpitur, qui omnia pervadens cutim inficit, labefactatq;.

XIV.

Ex hisce manifestum cedit, partem affectam, ut recipientem, semper esse cutim, ut mandãtem verò non semper unam existere, sed pro varietate causarum hactenùs enumeratarum variari, ità ut modò jecur, modò vesica bilis, modò ipsius afficiantur meatus. *Pars affecta.*

XV.

Icteritia est notissima: Signa enim per se manifesta sunt, flavus utpote color in toto corpore, maximè autem in albis oculorum apparens; hunc comitatur corporis pruritus & segnities, amarorque linguæ, biliosus item quandoque vomitus, & singultus. *Diagnosis.*

XVI.

Positis Icteri causis, sequitur quâ arte conjecturandum sit, quænam ex tot & variis affligat causis: intermissis tamen iis, quæ ipsius folliculi vitia concernunt; rarissima enim sunt, & in eorum numero habenda, quæ cogitatione potiùs, quàm usu & eventis, deprehensa monstrantur.

XVII.

Cognoſcitur ergò calidior hepatis intemperies (quæ plerumque mali hujus origo exiſtit) ex ſiti nimiâ, cibique aliquali faſtidio, febriculâ item cum urinis, & alvi dejectionibus, interdùm etiam vomitu, bilioſisſimis.

XVIII.

Inflammationem cauſam eſſe percipitur, dùm propter magnum ſanguinis incendium totum corpus bilioſis perfunditur excrementis : urinæ, & alvi excrementa ſunt flavâ bile tincta, febris concutit vehemens, variè faciei color mutatur, ſitiunt ægri, & in jecoris regione gravantem percipiunt ſenſationem.

XIX.

Signa autem, è quibus meatus ab hepate ad bilis cyſtim tendentis, obſtructio eruitur, ſunt: ſi Icterus repentè hominem ſine febre, & magnâ corporis aut virium jacturâ, obruat; ſi dejectiones albidæ excernantur, urinæ craſſeſcant, atque ad nigredinem penè rubeſcant; ſi dextro hypochondrio, ſine conſpicuo tumore ſenſus inſit gravativus.

XX.

Obſtructionem viæ è folliculo ad inteſtina ſpectantis demonſtrat Ileus, ſive Colicus dolor: cùm enim inteſtina ſunt oppilata, ut in his affectibus contingit, regurgitans ad hepar bilis per totum corpus cum ſanguine diffunditur.

XXI.

Per criſin bilioſarum febrium fieri ſignificatur, dùm febricitante ægro repentè ac cumulatim die critico ſuperveniens febrim terminaverit. Symptomaticum verò eſſe hunc affectum, febris bilioſa præſens teſtabitur.

XXII.

Ad inquiſitionem cauſæ, provenientis ab aſſumpto medicamento, à poto veneno, aut virulento morſu, quod attinet; ex antecedentibus, aut ægrorum relatione potiùs, quàm ſignis aliunde petitis, depromuntur.

XXIII. Enu-

XXIII.

Enumeratis causarum inquisitionibus, Prognosis subsequitur: quæ varia pro varietate causarum instituenda venit. Icteritia igitur ex se lethale nihil significat, quæ ab obstructione viarum, (modò non sit à calculo) à calidiore hepatis intemperie, aut à robore facultatis exoritur. *Prognosis.*

XXIV.

Attamen si procedat à morsu venenato, aut epoto veneno, aut à facultatis attractricis, expultricis've debilitate, præsertim si calculus adsit, periculosâ: si quoque ab inflammatione hepatis, aut Scirrho, ab illegitimâ item biliosarum febrium crisi, quæ, scil. ante diem septimum sine rigore contingat, plerumque ad lethum comitatur illætum.

XXV.

Præter hæc, non extra periculum versantur ii, qui confirmatâ laborant Icteritiâ, neque curam ullam, ut materia expellatur, admiserunt; subitò enim cor, alia've nobilis aliqua pars opprimitur: Si tamen Urina diu fuit aquosa, etiam hydropis periculum timendum est.

XXVI.

Magno tandem discrimine vexantur senes, qui pingues & obesi isthoc tentantur morbo; siquidem propter viscosam & crassam peccantem materiam, nunquam, aut certè raro & difficulter curantur.

XXVII.

Præmissis iis, quæ ad affectûs hujus Theoriam spectant; Sequuntur ea, quæ Therapiam sive curationem concernunt. Curatio igitur cùm sit affectus causis adaptanda, monstrantibus indicationibus est varianda. *Therapia.*

XXIIX.

Debilitas vesiculæ felleæ à nimiâ ipsiusmet repletione exsurgens, depletione sive evacuatione, per epicrasin factâ (ne vires, quæ sui conservationem semper indicant, debilitentur) sublevanda. *Indicationes,*

XXIX.

Impedimenta viarum ſunt amovenda: obſtructio quidem tolletur, ſi pituita craſſa, lenta, viſcida, aut bilis craſſa & copioſa attenuetur, incidatur & evacuetur: Compreſſio indicat ablationem tumorum, ſubſidentia atrophiæ correctionem.

XXX.

Ratione Conniventiæ propter ſiccitatem, quæ caliditati conjuncta eſt, indicantur frigida & humida: ratione adſtrictionis laxantia, & humectantia.

XXXI.

Ratione quantitatis, ſi ab intemperie hepatis oriatur, ſive ea ſit conjuncta inflammationi, ſive non, ea eſt alteranda, & quantitas deinde minuenda. Sed hæc omnia è triplici Therapiæ exhaurienda fonte veniunt, pharmaciâ nempe, Chirurgiâ & Diætâ.

XXXII.

Pharmacia. Pharmacia itaque præparantia primùm porrigit, periculo enim non vacat bilem antè præparationem educere; talia ſunt decoct. hord. lactuc. portulac. nymph. viol. purpur. obſervatâ ſubjecti diſpoſitione ab ℥iiij ad ℥viij, circiter ſumpta: hæc efficaciora fiunt, ſi iis ſuc. berber. granat. acidor. ribes. omphacii benè depurati ab ℥j ad ℥ij circiter addatur.

XXXIII.

Præparatus deinde humor expurgari debet cholagogis quibuſcunq;, ſive ſimplicibus ſive compoſitis; ſimplicia ſunt: rheum barbar. monachor. caſſia rec. extract. manna calabr. pulpa tamarind. aloë non lot. dulcamar. diagrid. paſſul. centaur. min. fol. ſennæ, &c.

XXXIV.

Ex his varia parari poſſunt compoſita, quæ ſi lenientibus ſui generis miſceantur faciliora redduntur: quale & hoc eſſe poteſt: ut ℞. paſſular. ℥ß prunor. dulc. (probè tamen à dulcibus, præſertim Saccharatis & mellitis abſtinendum, quia facilè

facilè in bilem mutantur) par.iiij centaur. min. ʒij ſemin. fenicul. ʒi aq. hord. vel com. ℥viij f. decoctio lento igne ad conſumptionem medietatis, & facta colatura exhibeatur pro potu.

XXXV.

Si magis placeant boli, ſic parabuntur ℞. rad. hippolapath. pulv. ʒj flor. centaur. minor. ʒß pulpæ paſſular. ab acinis expurgat. aut robprunor. inſpiſſat. ʒvj gr. vj M. F. bolus.

XXXVI.

Clyſteres item hîc locum habere poſſunt præſertim lenientes, qui parantur ex Juris carnium ℔j ol. olivar. vel ſemin. lini, ſacchari rub. ana ℥iij ſal. com. ʒj M. Vel ℞. decoct. mercurial. malvæ, betæ furfur. ana ℔j ſucc. brasſic. vel mellis, vel ſuc. betæ ℥ij ſalis com. ʒj M. pro Clyſtere.

XXXVII.

Si opus ſit emollitione inſigni uti in tenaciori obſtructione meatus à cyſtide ad inteſtina vergentis contingit, augeatur quantitas olei ad ℥iiij vel vj, vel oleo omiſſo augeatur quantitas decoctionis factæ cum malva, althæa, brac. urſin. fortiter expreſſa.

XXXVIII.

Refrigerandi vim, ſi eâ opus ſit, tribuent folia violæ purp. parietur, & hordeum decoctioni addita: ſi languida ſit facultas expultrix, duplicetur quantitas ſalis, aut omninò triplicetur.

XXXIX.

Ita vel ſimiliter corpore exquiſitè purgato omnibus modis attentandum eſt, ut ad cauſam deveniatur eradicandam: ſi itaque ab obſtructione viarum procedat, conveniens medium erit jus galli antiqui alterati, de quo ſumi poterit ſingulis diebus manè ab ℥vj ad viij.

XL.

Alteratur autem iis quæ vim obtinent alterandi incidendi, & digerendi, veluti ſunt erythrodanon, pentaphyll. ca-

pil. Ven. rad. aſparag. filic. mar. fenicul. petroſelin. borag. agrimon. ceterah. cappar.

XLI.

Juri huic accedere poteſt vinum chalybeatum; ſed intelligatur illud, cui Mars ſpagiricè præparatus, omnibusq; in officinis proſtãs linteo mundo inſutus impenditur: illud enim, in quo ſcilicet chalybs ignitus fuit, extinctus aſtringit potiùs, quàm adaperit.

XLII.

A' calidiore hepatis intemperie Ictero orienti occurritur refrigerantibus, & detergentibus medicamentis, quale & hoc eſt: ℞. ſeri caprill. (cum carthamo aut tamarindis coagulat.) ℔j ß Suc. endiviæ ℔j ſuc. ſolatri ℥iiij aq. abſynth. ℔ ß berberor. Santal. alb. aloës ſuccotr. ana ℥j. rhei elect. ſpicæ ana ʒj. Terenda ſubtiliſſimè terantur & ad vas vitreum vel ad vitreatum omnia ſimul miſceantur, de quo ſingulis diebus manè coletur & bibatur ad ℥iiij cum julep aut mel roſat. ʒjß.

XLIII.

Cura Icteritiæ à morſu venenato, aut epoto veneno, vel etiam à legitimâ bilioſarũ febrium criſi exortæ, per diaphoretica inſtituenda: in hâc quidem non multùm referre videtur, quomodocunque ſudor è præparato ac purgato corpore proliciatur: in illis verò theriaca quæcunq;, modò legitima, multùm; lapis autem bezoar à gr. vj ad gr. xij in vehiculo convenienti propinatus, ſudore item prolecto, plurimùm juvat.

XLIV.

Si à nimiâ repletione veſiculæ exoriatur, purgantia ſuperiùs memorata alternis, vel pro qualitate ſubjecti, ternis diebus ſunt repetenda, Ictero verò à reliquis cauſis ſupra dictis prorumpente vel primariis morbis, quorum ſymptoma eſt, proſpiciendum; vel certè prognoſi derelinquendus.

XLV.

Chirurgia. A' pharmaciâ ad Chirurgiam. In fonte chirurgico occurrit pri-

rit primò V. S. quæ admittenda est, corpore tamen priùs benè purgato, si obstructio viarum, calidiorque hepatis intemperies, inflammationis scilicet initium mali sit origo: secus si aliundè proveniat, nisi coindicantia rursùm suadeant: secari autem potest vel jecoraria, vel mediana dextri cubiti, neque tamen ultra evacuandum, quàm sanguinis copia indicet, & vires permittant.

XLVI.

Post V.S. sese insinuant balnea, præsertim detersoria, qualia parari possunt ex aquâ calidâ lupinis, hordeo, furfuribus, eruo, malvâ, chamemelo, &c. alteratâ frictiones item asperæ non inutiliter adhibẽtur, quia insensibiliter vacuant, præcipuè verò si inunctiones ex oleo anethino, Chamemelino, &c. admisto salis pauxillo superaddantur.

XLVII.

Tandem superest Diæta, quæ in recto sex rerum non naturalium usu consistit: quarum aër, qui non tantùm inspiratus, sed etiam transpiratus qualitate suâ nos immutat, primùm occurrit. Sit itaque purus & clarus, temperatus magis, quàm qualitate aliquâ manifestâ excedens; humidus tamen potiùs, & moderatè calidus, quàm frigidus & siccus. *Diæta.*

XLVIII.

Cibus sit boni succi, facilis concoctionis & distributionis: quales sunt caro gallinarum, caponum, pullorum, perdicum, vitulorum, hædorum juniorum, &c. Inter olera borrago, buglossa, blitum, sonchus, & quandoque spinachia non improbatur, ova item conducunt sorbilia.

XLIX.

Legumina verò cuncta prava sunt, cum salitis & dulcibus, cum lacticiniis, & carnibus omnibus, quæ crassum & viscidum præbent alimentum, veluti sunt caro suilla, bubula, agnina, anserina, anatina, & omnium avium palustrium. Potus sit vinum superius descriptum chalibeatum, vel certè album, tenue & penetrans, non rubrum, austerum & meracissimum.

L. Motu

L.

Motu & quiete moderatè uti oportet, plùs ad quietem quàm ad motum inclinando, ne per motum, præsertim, vehementiorem, corpus magis incalescat, & ansa bilis copiosioris inde contingat.

LI.

Quantumvis etiam in somno & vigiliâ modus sit tenendus, tamẽ major conceditur hîc somno Licentia, ut scilicet per illum corpus humectetur, laudabiliterq; irroretur.

LII.

De excretis & retentis, quia sub hoc affectu laudabilia nunquam existunt, & pro varietate causæ affectus variantur, hîc nihil statuendum videtur.

LIII.

Animi verò pathemata ita moderanda sunt, ut læta magis quàm tristia sint, placida potiùs, quàm iracunda. Hæc de Ictero flavo in Universum ad Dei Ter Optimi Medici Maximi laudem & proximi salutem dicta sufficiant, qui plura desiderat practicos consulat.

F I N I S.